



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 206. Rallegi Anglici Equitis extremum supplicium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. beat. Denique Sacra rituum Congre-  
 A.C. 1617. gatio die nona Decembris fancivit,  
 quod Episcopus, si Missas Pontificales  
 per se ipsum celebrare nolit, vel ne-  
 queat, non possit id in præjudicium pri-  
 mæ dignitatis, cui id competit, alteri  
 sibi bene viso pro suo arbitrio deman-  
 dare.

## §. CCVI.

*Rallegi Anglici Equitis extremum  
 supplicium.*

*Rapin. Thoi-  
 ras Hist.  
 d' Angl. l. 18.  
 Vid. supra  
 l. 186. §. 56.* Conjunctionis in Jacobum I. Angliæ  
 Regem conflatae conscium fuisse  
 Waltherum Rallegum Equitem, jam su-  
 pra retulimus; hoc autem anno extre-  
 mum adversantis, qua premebatur,  
 fortunæ conatum recensere, operæ  
 pretium est; postquam enim Regis  
 gratia e carcere, in quo tredecim  
 ferme annos hæserat, tandem di-  
 missus erat, omnibus spoliatus bonis  
 suis, in exteris Regionibus levamen  
 suis miseriis quærere statuit, cumque  
 omnes maritimas Americæ oras, quas  
 jam olim unacum Kemiskio Collegii  
 Oxoniensis artium Magistro legerat, sibi  
 fat cognitas haberet, ac præcipue ex  
 Insula Guaiana metallicam massam,  
 auriferæ venæ indicem, secum in An-  
 gliam retulisset, novæ hujus felicitatis  
 spe



spe incitatus Regi proposuit, quod in Sæc. XVII.  
 America apposito signo locum quem- A. C. 1617.  
 dam explorasset, cujus opulenta visce-  
 ra ingentem auri copiam pollicerentur,  
 proin Rex sibi iteratæ ad has oras na-  
 vigationis facultatem Regio diplomate  
 concederet. Obstare videbatur, Hi-  
 spaniæ Regem, cni hæc Insula pare-  
 bat, offendendi formido: e contrario  
 autem immodica auri cupiditas An-  
 glum tantopere incitabat, ut spreto pa-  
 cem violandi metu, Regias literas con-  
 cederet: His munitus Rallegus duo-  
 decim instruxit naves, pecunias largi-  
 ter eidem suppeditantibus Anglis Pro-  
 ceribus, quos tam potens fortunæ pro-  
 vocatio vilcabat. Ergo Mense Augusto  
 hoc anno revulsis anchoris, & in Ocea-  
 ni vastitatem emotis navigiis, velis,  
 remis & vento pariter spei conceptæ  
 colludentibus, ad Guaianæ oram adpel-  
 litur. Verum infausto invidæ fortunæ  
 ludibrio nec signi vestigium, nec auri-  
 feri montis conjecturam deprehendit:  
 Filium suum unacum Kemiskio ad  
 Orenoqum flumen procurere, atque ex  
 altissimis cacuminibus desideratum  
 montem explorare jubet: ast nequidem  
 tum liberrimus iste oculorum excursus,  
 quod tamen avide querebatur, detexe-  
 rat: interea occurrunt Hispani, An-  
 glorum exscensionem obstituri, qui ta-



Sæc. XVII. men a Rallegi copiis repulsi, oppidum  
A. C. 1617. Sancti Thomæ amiserunt, Anglis cum  
 ingenti præda inde in interiora Regio-  
 nis penetrantibus, quin tamen osten-  
 tati lucri spes affulgeret: quocirca fru-  
 stratæ opulentix fastidio indignationem  
 exasperante, Nautæ militesque ad Ral-  
 legum reversi palam querebantur, quod  
 ab eo ementita promissæ felicitatis no-  
 titia delusi fuissent, quocirca conver-  
 sis in Angliam velis quantocius cursum  
 reflecteret. Horum minis territus, ac  
 partim ob filii sui in conflictu trucidati,  
 necnon Kemiskii repentina morte sub-  
 lati jacturam spe & animo concidens  
 Rallegus, ventorum opportunitate ca-  
 ptata per Hiberniam redire cogitur:  
 Verum Kingsalam appulsus, cum ex-  
 peditionis infelicitas reditum in An-  
 gliam dissuaderet, suos socios eo indu-  
 cere nitebatur, ut secum in Franciam  
 contenderent. Hi tamen ejus consi-  
 lium abhorrentes, reluctantem licet  
 Plimuthum abducunt, ubi Regis jussu  
 captus, ad Londinensem Turrim raptus  
 est. Interim Gondemarus Comes  
 Hispaniæ Legatus, qui Walliæ Princi-  
 pis nuptias cum Regis sui Filia conci-  
 liaturus in Angliam venerat, Rallegi  
 irruptione violatam pacem questus,  
 eundem severe plecti petebat: unde  
 Rex, ne concepta nuptiarum spes e-  
 vane



vanesceret, Rallegum Judicium arbitrio Sæc. XVII.  
 reliquit: Hi vero cum eundem, utpo- A. C. 1617.  
 te Regia facultate instructum ob ex-  
 scensionem factam morti adjudicare  
 haud possent, eundem motæ quatuor-  
 decim abhinc annis rebellionis pœnas  
 dare cogunt, quæsito hoc obtentu,  
 quod ejusmodi crimen, nisi scripto Re-  
 gis diplomate sit condonatum, omni  
 tempore debitæ subjaceat severitati.  
 Igitur nequidem de sua expeditione in-  
 terrogatus, Mense Octobri anni sequen-  
 tis capite plexus est.

## §. CCVII.

*Jacobi Augusti Thuani obitus.*

Fato longe magis glorioso vitæ suæ Comment.  
 finem posuit hoc anno Jacobus Au- de vita Jac.  
 gustus Thuanus Parisiis anno Salutis Thuan.  
 nostræ millesimo quingentesimo quin- Frecher. de  
 quagesimo tertio die nona Octobris na- vit. just.  
 tus. Vir erat profapia illustris, do- pag. 1015.  
 ctrina, rerumque experientia inter pau-  
 cos conspicuus, qui magna ingenii fe-  
 licitate præditus, antequam sciret le-  
 gere, jam septennis pingere ac scribere  
 didicit, ac demum decimo ætatis an-  
 no humaniores literas attingens, Phi-  
 losophicis, Arithmeticis, & Geometri-